

dimidii feudi, que curie nostre hactenus debebantur, eidem monasterio benignius relaxamus. Concedimus etiam et perpetuo confirmamus prefato monasterio de Flore culturam Barani, que est in tenimento Monticini, sicut in privilegio nostro inde eidem monasterio indulto plenius continetur, et libere et absque ulla exactione posse cavare et percipere meneram ferri per omnes meneras Calabrie, sive infra tenimenta eiusdem monasterii Floris menera ferri poterit inveniri, eam sibi liceat libere et absque ulla exactione fodere, possidere perpetuo et habere ad opus et commodum suum. Concedimus quoque et perpetuo confirmamus memorato monasterio Floris terras laboratorias ad duas salmatas in tenimento Cherentee prope granciam, quam habet in loco, qui dicitur Albe, et quod possit edificare molendinum et fullam in tenimento Cherentee in propria terra sua et edificata libere possidere et habere in perpetuum. De abundantiori quoque munificentia nostra concedimus et in perpetuum confirmamus iamdicto monasterio Floris omnes libertates et immunitates, concessionem, exemptionem, pascua, redditus, possessiones et tenimenta ac omnia ea, que a clare memorie divis augustis nostris parentibus ei a nobis et serenissima consorte nostra C(onstantia) illustri regina sepedicto monasterio indulta sunt libere et concessa, sicut in ipsorum et nostris privilegiis plenius continentur. Statuimus itaque et presentis privilegii auctoritate mandamus, ut de cetero quecumque persona ecclesiastica vel secularis, alta vel humilis hanc nostram concessionem, confirmationem vel exemptionem infringere vel violare presumpserit, centum libras auri puri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero passis iniuriam persolvatur. Ut autem hec rata et firma permaneant, presens privilegium inde scribi et nostre maiestatis sigillo precipimus communiri. Huius rei testes sunt: Salzeburgensis archiepiscopus, Basileensis episcopus, Curi[ensis] episcopus, L. dux Bawarie et comes palatinus Reni, Guillelmus dux Carinthie, Hermannus marchio de Baden, comes Adolfus de Scomemburc, comes Henricus de Leiburc, Anselmus de Iusting(en) marescalcus, Riccardus camerarius^{e)} alii quam plures.

Signum domini Frederici dei gratia Romanorum regis semper augusti et regis Sicilie. (M.)^{f)}

Ego Corradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Scifridi^{g)} Maguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii recognovi.

VIII. e) danach wohl et zu ergänzen M
g) M.

f) Nachzeichnung des Monogramms M